CAMPANI (GIUSEPPE).

2220. Nuovi Scoprimenti nel Sistema di Saturno fatti nell' Osseruatorio Regio di Parigi dal Sig. G. D. Cassini per li vetri del sig. G. Campani, estratti da vna lettera del primo à questo. sm. 4°. *n. pl. or d.*

Two leaves only.

On p. 2 is ' Descrizione d'un nuovo microscopio del Sig. Giuseppe Campani, e suoi usi ', with a folding plate, a re-engraving, slightly altered and enlarged, of Plate X in ' Acta Eruditorum 1686 ', p. 372, which is reproduced in no. 6444, p. 31, as " the earliest figure illustrating the use of the microscope in medicine ".

Bd. with no. 2313. The volume, which also contains nos. 2259 and 3487, was bought 15. xii. 15 for the early pictures of microscopes. [W. O.]

CELLIO (MARCO ANTONIO).

2259. Descrizzione d'un nuovo Modo di trasportare qualsisia figura disegnata in carta mediante i raggi riflessi solari, in vn altro foglio di Carta da chi che sia, benche non sappia di dissegno . . . e dimostrato nell' Accademia fisicomathematica Romana tenuta li 4. Agosto 1686. sm. 4°. (*Roma, nella stamperia di G. G. Komarek*, 1686.)

Two leaves, the 2nd bearing an engr. diagram of the camera lucida ; with a folding plate, dated 1687 and showing objects as seen through the ' new microscope invented by (Carlo Antonio) Tortoni '. This plate is not referred to in the text of this pamphlet or of no. 2220 (see note), which precedes it in the vol. Bd. with no. 2313.

CIAMPINI (GIOVANNI [GIUSTINO]) 1633–98.

2313. De incombustibili Lino, sive Lapide Amianto, deque illius filandi modo. Epistolaris dissertatio ad Bernardum Iosephum. sm. 4°. *Romæ, typ. Rev. Cameræ Apostolicæ*, 1691.

With plate. Bd. with this and preceding it is his ' Sacro-historica disquisitio de duobus Emblematibus ', 1691, which is not catalogued. See notes to no. 2220.

NAPOLI (CARLO DI).

3487. Nuove Inventioni di Tubi ottici dimostrate nell' Accademia fisicomatematica Romana l' anno 1686. sm. 4°. (*Roma, G. G. Komarek*, 1686.)

No title-page. Signed at end. With 3 folding plates, showing microscopes and telescopes.

Bd. with no. 2313.

SACRO-HISTORICA DISQUISITIO

De Duobus Emblematibus,

Quæ in Cimelio

Eminentiss. & Reverendiss. Domini

GASPARIS CARDINALIS CARPINEI

asseruantur,

In quorum altero præcipuè disceptatur.

An duo Philippi Imperatores fuerint Christiani.

AUCTORE

JOANNE CIAMPINO ROMANO

Magistro Brevium Gratiæ, ac in utraque Signatura Referendario.

ROMÆ,

Typis Joannis Jacobi Komarek Bohemi apud S. Angelum Custodem. MDCXCI.

Superiorum Permissu.

REVERENDISSIMO DOMINO

JOSEPHO MARIÆ CARO

PRESBYTERO THEOLOGIÆ MAGISTRO, AMICO SINGVLARI,

JOANNES CIAMPINUS

Salutem.

QUALEM, quantamve lucem Emblemata, Epigrammata, aliæque præteritorum temporum memoriæ, ſecum afferant, Experientia rerum magiſtra, abundè nos docet. Veritatem hanc multi agnoſcentes, operam, & opes illis in colligendis inſumpſêre. Inter hos jure te connumero, qui ex reconditis Bibliorum Cimeliis, abſtruſos, & in oblivionis tenebris deliteſcentes Sacros codices perquirere, notiſque illuſtrare, ac publici iuris, nullo ad labores, expenſaſve habito reſpectu, facere haud ceſſas. Immò his minimè contentus, alios ad ſimilia quæque peragenda, crebris ſuaſionibus allicis, atque etiam ſtimulas. Ipſe teſtis ſum, quem ad jam promulgata opera incitaſti: quæ quidem, ſi quid laudis, aut nominis unquam auctori ſuo comparabunt, id hortationibus tuis deberi, omninò fatendum erit. Interea en tibi duo Sacra Emblemata, ſive ſacræ figuræ, quæ ad meas pervenêre manus: has ego notis declarare conatus ſum, quas perſpicaci iudicio tuo examinandas propono.

Primum igitur Emblema ex ærea ſubtili lamina, ſive bractea anaglyptico opere elaboratum eſt; hoc mihi oſtendit Eminentiſſimus, & Reverendiſſimus D. Gaſpar Cardinalis Carpineus Sanctiſſimi Domini Noſtri in Urbe Vicarius, qui celebre ſelectarum rerum Cimelium ſuo in Palatio aſſeruat. Hujus Emblematis exemplar magnitudinis, & formæ ſequens eſt.

PRIMUM EMBLEMA.



Peripheria hæc, tot referta figuris, in Pontiani Cœmeterio paucis ab hinc annis reperta fuit; unde ego coniicio in alicujus fictilis, aut lignei vaſis ima, interiorique parte immiſſam, collocatamque fuiſſe, eò quòd Chriſtianæ religionis apud antiquos Fideles teſſera, ſive hieroglyphicum eſſet, ut infra oſtendam.

Veteres Chriſtifideles in cordis ſimplicitate, paciſque amœnitate viventes, ad habendam mutuam ſui ipſorum agnitionem, ſive cognitionem, quibuſdam peculiaribus teſſeris, ſibimet ipſis ſolummodo notis, utebantur. Inter quas præſens Emblema connumero.

Hujuſcemodi teſſeras præcipuè in Calicibus in uſu fuiſſe exiſtimo; ut Fideles in precioſiſſimo Ieſu Chriſti Redemptoris noſtri ſanguine è Calicibus delibando, ipſius Saluatoris, aut antiquæ, ſeu novæ legis Patrum, eorumque, qui pro Chriſti amore ſanguinem effundere, ac Martyrium ſubire non detrectârunt, imaginem introſpicerent, illiuſque renovaretur memoria, quâ in ipſis Fidelibus ardor, & fortitudo ad profitendam fidem magis accenderetur.

Cali-

Calices iſtos ex omni materia confectos fuiſſe putarem, quorum nonnulla fragmenta ab Arringho in ſua Roma Subterranea lib.4. cap.37.& 47.& lib.6.c.50. exponuntur. Aliorum verò ſimilium Calicum fragmenta eodem in Cimelio Eminentiſſimi Carpinei, ac in alio etiam celebri Eminentiſſimi Flavii Cardinalis Chiſii, Signaturæ Juſtitiæ Præfecti, rerum omnium, penè dixerim, varietate ditato, aſſeruantur. Quæ Calicum fragmenta ambo iſti Eminentiſſimi Purpurati, quàm humaniſſimè mihi delineanda præbuêre, quæque, Deo permittente, in lucem emiſſurus ſum.

Hæc mea de Calicibus aſſertio, graviſſimi illius primitivæ Eccleſiæ Scriptoris Tertulliani auctoritate firmatur. Ipſe enim lib. de Pudicitia num.7. ſic inquit. *A parabolis licebit incipias, ubi eſt ovis perdita à Domino requiſita, & humeris ejus revecta? Procedant ipſæ picturæ Calicum veſtrorum, ſi vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, utrum ne Chriſtiano, an Ethnico peccatori de reſtitutione conliniet*. Et infra n. 10. *Patrocinabitur Paſtor, quem in Calice depingis*. Tanti Scriptoris auctoritas, non ſolùm morem pingendi Calices nobis patefacit; verùm etiam primariam ipſius Emblematis figuram explicat, quâ nempe Chriſtus Dominus Noſter ſub Paſtoris forma exprimitur, inuentam errantem ovem ſuper humeros geſtans. Hæc eadem magni Mediolanenſis Antiſtitis teſtimonio comprobantur, qui in enarratione ſuper Pſ.118. ſacrum hoc arcanum declarans, ſic ait: *Denique inventam Paſtor ovem humeris imponit ſuis. Agnoſcis utique Myſterium, quomodo ovis laſſa reficiatur, quia nō poteſt aliter humana conditio laſſa recreari, niſi Sacramento Dominicæ Paſſionis & Sanguinis Jeſu Chriſti, cujus Principatus ſuper humeros ejus; in illa enim Cruce infirmitates noſtras portavit, ut ibi hominum peccata vacuaret*. Et in Evangelio ſecundùm Lucam cap. 15. iſte veritatis Magiſter

plu-

plura super parabolam hanc disserit ; at nobis sufficiat tantummodo infra dicenda brevitatis gratiâ indicare . *Ovis enim* , ait , *à Pastore reperitur* , *à Patre Filius honoratur* . *Gaudeamus igitur* , *quoniam ovis illa* , *quæ perierat in Adam* , *leuatur in Christo* . *Humeri Christi Crucis brachia sunt* . *Illic peccata mea deposui*, *in illa patibuli nobilis ceruice requievi*. *Ovis illa genere est una* , *non specie* : *omnes enim unum corpus sumus* ; *sed multa membra* ; *& ideo scriptum est* ; *vos autem corpus estis Christi* , *& membra ex membris ejus* . *Venit itaque Filius hominis saluum facere*, *quod perierat* , *omnes scilicet* : *quia sicut in Adam omnes moriuntur* , *ita & in Christo omnes vivificabuntur* .

In meo etiam lapidario Museo marmorea est tabula longitudine palmorum duorum , altitudine palmi unius cum dimidio , in qua quidam barbatus vir cælatus est , qui super humeros ovem gestat , cum inscriptione FILVMENVS . Figuram hanc Christum denotare minimè dubito , & si ipsius Filumeni vocis grecæ etymologiam examinare velimus , nil aliud significare puto ; nisi *Amatus* . Hæc satis de prima : modò ad secundam figuram .

2. Ista, quæ Pastoris capiti imminet, Adam, & Euam cum arbore & Serpente ostendit : quid per hoc denotetur , concors est Patrum sententia, quòd Adam Christum , Eva Ecclesiam , Serpens Diabolum significent . De Christo sic Gentium Doctor D. Paulus ad Corinthios 1. 15. 45. fatur . *Factus est primus homo Adam in animam viventem* , *novissimus Adam in spiritum vivificantem* . Sanctus verò Anastasius Synaita lib. 10. Anagogicarum contemplationum in Hexameron, ante medium, sic etiam ait . *In ipsis ergo Protoplastis nudationem intelligis* , *idque simul*, *& typicè* , *& præfigurativè à Deo factam esse in Christo* , *& Ecclesiâ in initiis* . *Non enim* , *qui omnem essentiam* , *tam ratione præditam* , *quàm expertem*

pertem rationis est fabricatus, per se indutam, non poterat facilè efficere hominem, non egentem integumentis? Sed quoniam Deus Verbum, qui erat ab initio nudus, & incompositus, à Deo erat componendus, & induendus pelliceam nostræ carnis tunicam, caro factus, & habitans in nobis, ideo Deus Adam hominem (secundùm Adami prototypum) nudum condidit, & ejus coniugem mulierem imaginem Ecclesiæ, ipso rursus indutæ. Nam quicumque, inquit, in Christum baptizati estis, Christum induistis, Illud magnum Ecclesiæ Græcæ lumen Sanctus Joannes Chrysostomus in homilia de interdicta arbore: *Mors*, inquit, *per Adam, Vita per Christum. Evam serpens seduxit: Maria Gabrieli consensit: sed seductio Evæ attulit mortem: consensus Mariæ peperit in seculo Saluatorem. Restauratur per Mariam, quod per Evam perierat. Per Christum redimitur, quod per Adam fuerat ante contractum*. De Serpente verò idem Sanctus Anastasius Synaita præfato lib. 10. ultra medium sic loquitur. *Dici potest, quòd multæ Serpentis proprietates assimilantur Diaboli machinationibus: & primùm totius ejus corporis dejectio in terram: omnis enim natura animatorum, & inanimorum habet aliquid, quod sursum fertur, ad superna motum habens, & augmentum, præter solum Serpentem. Nam idipsum, quod super terram graditur, ostendit quòd suam prudentiam, & cor suum, sua sponte conculcat, nihil penitus excelsum, & cœleste sentiens, aut cogitans. Quamobrem sæpè suam exuit formam, sicut Serpens exuit, transformatus in Angelum lucis, tamquam mutans à prisca prudentia. Hinc etiam venenum lethiferum per os, & inania consilia immittit in animam, & vitæ extremorum obseruat calcaneũ, & ad insidiandum in semitis hominum semper insidet, ut impediat nostros ad Deum gressus, & ideò effecit Deus, ut venaretur, & perimeretur Sapientum incantationibus, & precibus.*

Hæc breviter de secunda figura, modò ad tertiam.

Quæ

3. Quæ tertia eſt Icon, Noë in Arca cum Columba, olivæ ramum deferente, exprimit. Hujus hieroglyphici reſeratio offertur ex B. Petri Epiſtola 1.3.20. vbi: *Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cùm fabricaretur arca, in qua pauci, ideſt octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam. Quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit Baptiſma.* Ac apud laudatum Tertullianum de Baptiſmo nu.8. idem habetur: *Quemadmodum enim*, inquit, *poſt aquas diluvii, quibus iniquitas antiqua purgata eſt, poſt Baptiſmum, ut ita dixerim, mundi pacem cœleſtis iræ, quæ præco Columba terris adnuntiavit, dimiſſa ex Arca, & cum olea reverſa, quod ſignum apud Nationes paci prætenditur.* Sanctus autē Cyprianus, ſive alius Chriſtianus auctor ad Novatianum hæreticum: *Quòd lapſis ſpes veniæ non eſt deneganda*, idem hieroglyphicum ſic nobis explanat. *Illa Arca figuram Eccleſiæ portabat, quæ verberabatur hinc, atque indè aquis inſurgentibus tantùm. Cataclyſmus ergo ille, qui ſub Noë factus eſt, figuram perſecutionis, quæ per totum orbem nunc nuper ſupereffuſa oſtendit. Aquis autem, diruptis cataractis, undique convenientibus, & excreſcentibus ſignificabantur gentes, quæ ad vaſtandam Eccleſiam excreverunt, ſicut Apocalypſis cap.17. docet, dicens: Aquæ, quas vidiſti populi ſunt, & gentes, & regna &c.* Plures alios myſticos ſenſus Patrum adducere poſſem; ſed à breuitatis ſcopo nimis recederem, ac fortaſſe, Amice, moleſtiam ſuſciperes; ideo ad quartam imaginem me confero.

4. Jonam ſub umbra cucurbitæ dormientem, quarta repręſentat imago. Myſterii hujuſmodi arcanum ſummo cum ſtudio detegere curavit Arringhus in præcitata Roma ſubterranea tom.2. lib.5. cap.22. num.6.& ſeqq. occaſione, quâ plures viſuntur picturæ ſacris in Cœmeteriis, Jonam ſub umbraculo molliter recubantem, oſtendentes, atque ingentem animi, ipſo-

ipsomet vultu, tristitiam præseferentem: brevitati studendo, duorum tantùm Romanæ Ecclesiæ Doctorum referam auctoritates, qui mysticum hunc sensum exponunt. Primus est incomparabilis ille Ecclesiæ Doctor Augustinus in Epistola 49. ad Episcopum Deogratias, quæst. 6. circa medium, sic ait. *Jam verò quod tabernaculum sibi constituit, & consedit ex adverso Civitatis Ninive, quid ei futurum esset expectans, alterius significationis personam Propheta gestabat: præfigurabat enim carnalem populum Israël. Nam huic erat tristitia de salute Ninivitarum, hoc est de redemptione, & liberatione gentium. Unde venit Christus vocare non justos, sed peccatores ad pœnitentiam. Umbraculum ergo cucurbitæ super caput ejus, promissiones erant veteris Testamenti, vel ipsa jam munera, in quibus erat utique, sicut dixit Apostolus, umbra futurorum, tamquam ab æstu temporalium malorum, in terra promissionis desensaculum præbens*. Secundus est Ecclesiæ Doctor D. Hieronymus; is in assignandis rationibus, quæ ingenti Jonæ animum mœrore compleverant, à præfato Augustino dissentit, scribens: *Non contristatur*, (scilicet Jonas) *ut quidam putant, quòd gentium multitudo salvetur, sed quòd pereat Israël*. Quoad umbraculum verò Hieronymus cum eodem Augustino concordat, dum ait: *Jonas sub umbraculo erat: nec dum quippe veritas venerat, de qua idem Evangelium, & Apostolus loquitur; Deus veritas est*.

Umbraculi hujus occasione oritur quæstio inter Patres, an folia ex hedera, juxta vulgatæ textum, extiterint, aut ex virentibus cucurbitarum frondibus, ut in præallegatis figurâ, & picturis cernitur. Quæstionem hanc exponit, & examinat idem Arringhus in citato cap. num. 9. & seqq. quem referre brevitatis gratiâ omitto, solummodò contentus conclusionem ponere, ut num. 11. nempe: *Jonam haud sub hederæ, sed sub*

cucurbitæ umbraculo quiescentem, ob eam potissimam rationem in Cœmeterialibus tabulis, olim à Christianis repræsentatum fuisse arbitramur, quia videlicet antiqui fideles acceptissimæ septuaginta interpretum sententiæ mordicùs adhærentes, quidquid conceptis apud eosdem verbis, scripturarum textui insertum legebatur, ac si vulgata earumdem scripturarum foret editio, constanti animo retinuêre. De varia hac lectione scripsit Hieronymus Augustino, ut in fine Epistolæ 11. aqud eumdem Augustinum. Hæc de Jona dicta in hoc loco sufficiant, ac prosequendo figurarum explicationem, quintam sumo, quæ Danielem, in lacu Leonum positum, exprimit.

5. Meritò Danielem in ipso nascentis Ecclesiæ exordio antiqui Patres summa in veneratione habuêre, quoniam ipsiusmet Dei oraculo per Ezechielem cap. 14. Job, & Noë æquiparatus fuit: sic enim Propheta ait: *Si fuerint tres viri isti in medio ejus* (idest Hierusalem) *Noë, Daniel, & Iob. Ipsi justitiâ suâ liberabunt animas suas.* Tres igitur isti Viri, quasi justitiæ lumina in Orbe extitêre, inter quos connumeratur Daniel, cujus ob præclaras virtutes, quas longum esset enumerare, in Cœmeterialibus, aliisque locis, quasi justitiæ speculum, imago picta fuit. In præsenti autem orbiculo, prout in cryptis, in medio Leonum, expansisque manibus fuit expressus: quia per hoc signum mysticè Christi Crux declarabatur: sic sentit Macarius Chrysocephalus, Philadelphiæ Archiepiscopus, in oratione de Cruce, relatus à Gretzero, in suo tractatu de eadem Cruce. *Accedat,* inquit, *& magnus ille Daniel, & tres pueri: ille enim ora Leonum, insolita mansuescere obturavit, cùm manus expansisset in lacu, & in Crucis speciem conformasset.* Idem confirmat Theodorus Studita ab eodem Gretzero recensitus: *Magnus*, ait, *ille Propheta Daniel missus quondam in lacum Leonum, manibus*

nibus Crucis in speciem expansis, incolumis ex faucibus bestiarum evasit, benedicens Christum Dominum. Sæpe citatus verò Arringhus horum Patrum vestigia sequendo tom.2. cap.21. fusius explicat. *Hanc certè ob causam in abditis plerisque Cœmeteriorum cubiculis, ac Martyrum, cæterorumque Christianorum Sarcophagis Daniel illibatus inter Leones consistens, elevatisque ad Deum manibus intensissimè deprecans, Abacuch quoque prandium eidem deferente interdum superaddito, contemplandus obiicitur, ut ipsiusmet Danielis liber legendum exhibet; quam profectò historiam frequenter admodum Fidelium oculis, atque animo expendendam, ijdem sapientissimi Patres, qui moribus informandis vacabant, ob præcipua, quæ intus latent altissimarum virtutum dignis obvoluta mysteriis, documento proponebant. Dignissimi enim viri historiam, cùm inter crebras ærumnarum molestias intercipi contingeret, recolentes haud animum despondere, sed bonam divino suffulti præsidio, spem concipere edocebantur. Quippe qui ipsius Danielis exemplo præmuniti, futurum non dubitabant, ut ipsi quoque, Divino aspirante Numine, à periculis, quibus acriter præmebantur, liberi tandem emergerent; cùm Daniel, cujus imaginem aspiciebant, è Leonum, fame exasperatorum, faucibus illæsus, ac vegetus evasisset: & ipsemet Christus Dominus, quem Daniel mysticè præsignabat, è rabidis furentium Judæorum manibus, quos haud alio, quàm Leonum nomine Hieronymus appellat, ipsos inter mortuos liber, tertiâ jam recurrente die, redivivus orbi affulsisset.* Quæ Arringhi assertio mirum in modum Danielis explanat figuram.

6. Sexta icon notissima est; designat enim Abraham, Isaach filium suum sacrificantem. Quid primævi Ecclesiæ Patres hâc figurâ voluerint ostendere, obscurum est, nisi eos adeamus. Illi igitur haud semper palam Christi Servatoris Cruci affixi imaginem reco-

lendam, venerandamque intuentibus, sed quandoque emblematicè, figuratisque modis obvolutam; præcæteris autem Abrahami & Isaaci historiam proponere satiùs existimarunt, in qua scilicet Sacramenta ipsa Passionis olim figurata fuerant. Sic laudatus Tertull. adversùs Marcionem lib. 3. n. 18. & adversùs Judæos n. 10. nos docet. *Utique Sacramentum Passionis figurari in prędicationibus oportuerat: quantòque incredibile, tantò magis scandalum futurum, si nudè prædicaretur, quantòque magnificum, tantò magis obumbrandum, ut difficultas intellectûs, gratiam Dei quæreret. Itaque in primis Isaac cùm à Patre hostia duceretur, & lignum ipsi sibi portaret Christi exitum jam tunc denotabat, in victimam concessi à Patre, lignum Passionis suæ bajulantis.* Sanctus verò Maximus in homilia 1. in festo Paschæ sic mysticum hoc hieroglyphicum exponit. *Hic idem Dominus in novissima mundi senescentis ætate, per figuram B. Abrahæ longævi Patris offertur: quo tempore dum novo sacrificio in unici sui jugulum pius parricida consurgit, ex improviso Aries oculis ejus apparuit, sicut loquitur sermo divinus: Et vidit Abraham arietem inter vepres, hærentem cornibus. Inter vepres, inquit; Requiramus quæ ista sit novitas. Inter vepres, idest in multitudine circumstantium peccatorum: hærentem cornibus, idest ad Crucis cornua, clavorum confixione pendentem, sicut in alio loco legimus, cornua in manibus ejus sunt. Hoc ideò, quia venerandas manus patibuli brachia susceperunt. Inter spinas autem deputatus est, quando spineo serto Innocentiæ, & Justitiæ auctor illusus est. Sed altiùs introspicere debemus, quidnam sit, quod Isaac à Patre altaribus admovetur, ac subitò Aries pro eo, non mutatâ, sed duplicatâ oblatione supponitur. Dei enim Unigenitus offertur, & Virginis Primogenitus immolatur. Hoc quoque Dominicæ Passionis præfigurabant insignia &c.*

Sam-

7. Samſonem ſeptimus exhibet iconiſmus, portas Gazæ Civitatis, è cardinibus ſublatas, ſecum ſuper humores deferentem; quod Myſterium à Patribus, præcipuè verò à Magno illo Gregorio, qui homilia 21. in Evangelium ſecundum Matthæum: *In illo tempore Maria Magdalene &c.* ita explicatur. *Sed quid Samſon fecit agnovimus. Mediâ nocte portas Civitatis abſtulit, & montis verticem aſcendit. Quem, fratres chariſſimi, hoc in facto, quem niſi Redemptorem noſtrum Samſon ille ſignificat? Quid Gaza Civitas, niſi Infernum deſignat? Quid per Philiſthæos, niſi Judæorum perfidia demonſtratur? Qui cùm mortuum Dominum viderent, ejuſque corpus in ſepulchro jam poſitum, Cuſtodes illico deputaverunt, & eum, qui auctor vitæ claruerat in Inferni clauſtris retentum, quaſi Samſonem in Gaza ſe deprehendiſſe lætati ſunt. Samſon verò mediâ nocte non ſolùm exiit, ſed etiam portas tulit, quia videlicet Redemptor noſter, ante lucem reſurgens, non ſolùm liber de Inferno exiit, ſed & ipſa etiam Inferni clauſtra deſtruxit. Portas tulit, & montis verticem ſubiit, quia reſurgendo clauſtra Inferni abſtulit, & aſcendendo Cœlorum Regna penetravit &c.* Hæc breviter de hoc ſacro Symbolo Samſonem demonſtrante; modò ad octavam imaginem.

8. Octava imago, ſive figura Moyſem denotat in deſerto, petram virgâ percutientem, ex qua uberes aquæ fluxerunt. Per hoc hieroglyphicum ſacrum illud arcanum declaratur, nempe Gentilis populi, in deſerti regione poſiti, ad Orthodoxam fidem acceſſus. Sic D. Paulus ad Corinth. 1.10.2. *Omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari; & omnes eamdem eſcam ſpiritalem manducaverunt, & omnes eumdem potum ſpiritalem biberunt: (bibebant autem de ſpiritali, conſequente eos Petra:) Petra autem erat Chriſtus. Sed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo: nam proſtrati ſunt in deſerto.*

ferto . Sicque S. Justinus Martyr in Colloq. cum Triphone: immediatè post medium. *Fontem*, ait, *aquæ vivæ à Deo in solitudine cognitionis Dei experte, in terra videlicet Gentium scaturire fecit hic Christus*. Eruditissimus simul, & eloquentissimus S. Hieronymus, sive alius auctor in Psal. 77. alium mysticum sensum nobis insinuat. *Percussa est*, inquit, *Petra*, *& fluxerunt aquæ*. *Illa Petra*, *quæ dicit*: *Qui sitit veniat*, *& bibat: de cujus ventre fluxerunt flumina*. Et paulò post hæc addit. *Sicut Moyses percussit in eremo Petram*, *& produxit populo aquas: ita & Dominus, quem Paulus percussum ait, propter peccata nostra*, *immensos nobis protulit fontes*; *Apostolos scilicet*, *quos Petra monstravit*, *& per quos torrentes idest subsequentes Ecclesiarum Doctores repleti sunt, ex quorum nos prædicatione sitim restinguimus*. Singulos hujus sacri arcani sensus referre longum esset: atque hactenus dicta satis esse videntur.

9. 10. Quoad nonam, & decimam figuras, Jonam, ex navi in os Ceti projectum, repræsentantes, receptissima Patrum sententia est Symbolum hoc peculiarem Christi typum fuisse, ut videre est in Matthæo 12. nam ibi: *Generatio mala*, *& adultera signum quærit*, *& signum non dabitur ei*, *nisi signum Jonæ Prophetæ*. *Sicut enim fuit Jonas in ventre Ceti tribus diebus*, *& tribus noctibus*, *sic erit filius hominis in corde terræ*. Sacræ hujus historiæ etiam minutissima perpendit Magnus ille Hipponensis Episcopus S. Augustinus Epistolâ 49. ad Episcopum Deogratias quæst. 6. ibi: *Sicut ergo*, inquit, *Jonas ex navi in alvum Ceti*, *ita Christus ex ligno in sepulcrum*, *vel in mortis profundum*. *Et sicut ille pro his*, *qui tempestate periclitabantur*, *ita Christus pro ijs*, *qui in hoc seculo fluctuant*. *Et sicut primò iussum est*, *ut prædicaretur Ninivitis à Jona*, *sed non ad eos pervenit Prophetia Jonæ*, *nisi postquam eum Cetus evomuit*; *ita Prophetia præmissa est ad Gentes*, *sed nisi post resurrectionem*

Chri-

Christi non pervenit ad Gentes. Hæc Augustinus, quæ, omissis aliis Patrum auctoritatibus, tamquam tibi abundè notis satis superque essent: attamen hìc mihi paululum immorari fas sit, atque illud in primis inquirere, cur in hoc Symbolo, loco Cetis marinum monstrũ, in forma potius Draconis, quàm alterius belluæ in Cœmeteriis, ac antiquis marmoreis Sarcophagis, ut etiam in præsenti Emblemate depictum, sive anaglypticè cęlatum fuerit. Quæstionem hanc citatus Arringhus Tom. 2. lib. 5. cap. 22. num. 4. suæ Romæ subterraneæ sic solvit. *Verùm*, inquit, *ut in re haud parvi momenti sacros de more Doctores consulamus; primo quidem loco Hieronymus se perscrutantibus offert, qui illa historici textûs verba exponens: Et præparavit Dominus piscem grandem, hæc ait: Porrò quid, ait, præparavit, vel ab initio cùm conderet, de quo in Psalmo scribitur: Draco iste, quem formasti ad illudendum ei, vel certè juxta navem fecit venire. Sed plura eleganter quidem subiicit, dum in Psal. 103. apertè magis verba illa expendens, Draco iste &c. Dœmoni convenire hæc dicens affirmat: Iudæi dicunt: Draconem magnum fecit Deus, qui dicitur Leviathan, & est in mari &c. Nos autem dicimus: iste est Draco, qui de Paradiso ejectus, qui decepit Evam, & datus est in hoc mundo ad illudendum nobis. Quod plenè iisdem ferè sententiis obfirmat, dum verba illa Isa. 27. altiùs contemplando dilucidat: super Leviathan serpentem vectem, & super Leviathan serpentem tortuosum: Ex septuaginta enim Interpretum versione id evidenti testimonio comprobat, qui verba illa super colubrum fugientem, haud aliter, quàm super Draconem legendum putant &c. Hieronymus item semper sibi in assertis benè constans ex Psalm. 90. auctoritatem jam supra enarratis aptè concilians, ubi isthæc, super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem; per Draconem, Dæmonem utique subintelligendum esse proclamat; ibidemque*

hunc

hunc ipsummet esse Cetum, qui Leviathan alio vocabulo appellatur, à Christo Domino tandem intercipiendum, ac validè profligandum constanter asseverat, quod & prophetica Jobi oracula evidenti enarratione testantur. Sic autem in rem præsentem, inquit: ipse est magnus Cetus, de quo, quòd à Christo capiendus sit, mystico in Job sermone, narratur, nam & ibi pro Ceto Leviathan ponitur. Hæc quæ ex aliis, ab Arringho allegatis, pro hujus symboli declaratione deprompsi, pro figuris, in eadem peripheria expressis, sufficiant.

SECVNDUM EMBLEMA.



Secundum Emblema non ex ære, sed ex vitro est, ejusdem tamen magnitudinis, ac supra relatum, nõ minora equidem arcana in se continet; Imaginem enim ostendit vitreis delineamentis pictam, in cujus orbiculi peripheria, sive limbo, ad dimidiæ unciæ ferè altitudinem parua attollitur zona, quæ planum, sive superficiem ambit; cujus in medio cujusdam Juvenis imberbis effigies cernitur, paruum capillitium in coronæ formam habentis, ac dalmaticam, sive togam, aut tunicam, usque ad crura gestantis, quam lacerna tegit. Ex sinistro latere magna excurrit fascia, & sub dex-

dextrum se insinuat latus, denotatque, ni fallor, Consulare Laticlavium; præterea hæc imago utraque elevat brachia, lævâque librum apertum tenet. Duæ stellæ à lateribus cernuntur; in orbiculi verò extremitate, in gyrum apprimè formatis characteribus, sequẽtes delineatæ sunt voces; nempe A SECVLARE BENEDICTE PIEZ. Hæc omnia aliud vitrum, tenaci glutine super impositum picturæ, muniminis gratiâ tegit. Quare hunc orbiculum alicujus crateris, sive sacri vasis imam partem fuisse reor, quæ fundus solet appellari, ut de antecedenti Emblemate dixi, sed ad illius explicationem deveniam, in qua etsi Oedipus non sim, tamen esse tentabo.

Consuevêre antiqui Fideles in humandis defunctorum cadaveribus in ipsis tumulis, aliquod signũ, sive characterem ponere, quo ipsi defuncti, dum inter vivos agebant, utebantur, si Martyres essent; martyrii instrumentum, quo mortem subiverant; ut ex hujusmodi signo, sive charactere, aut instrumento, defuncti qualitas, sive mortis genus argueretur, ut eruditissimus Casalius in suo Tractatu de veteribus Christianorum ritibus cap. 66. & Arringhus in sua Roma Subterranea lib. 1. cap. 2. n. 25. fusè ostendunt.

Opinor igitur, vitreum hunc orbiculum alicujus sacri calicis fuisse fragmentum in signum, sive characterem defuncti alicujus Pontificis, sive Episcopi, aut Sacerdotis appositum, cùm calix Sacerdotalis dignitatis character, sive signum appellari possit. Hujus rei exemplum refert Surius ad diem 3. Decembris de Sancto Birino, cujus corpus cum calice, & aliis ornamentis Pontificalibus inventum fuisse testatur.

Quòd fuerit fragmentum vitrei calicis clarè conjicitur ex ab Arringho allegatis lib. 6. cap. 18. eò quòd scilicet antiquitus, præsertim Apostolorum temporibus, calices vitrei in usu extiterint. Ipse quoque morem

hunc ævo Zephyrini Beatiſſimi Pontificis, qui floruit principio tertii ſeculi, viguiſſe in meis conie&turis de Azymo cap.7. nu. 7. oſtendi. Vtpote etiam in ima, interiorique eorum parte Antiqui depingere conſueverint, jam in antecedenti Emblemate demonſtravi.

Meam ſententiam ipſa confirmat imago; quæ ſacra eſt, & Chriſtum Dominum noſtrum repręſentat, qui ab eiſdem priſcis Fidelibus in Juvenis formam, detonſo capite, ut plurimùm appingebatur, ut in præſenti cernitur orbiculo; ac apud laudatum Arringhum in diverſis iconibus, ab eo allatis, videre eſt, rationemque in eodem lib.6.cap.17. allegat; nempe quòd Deus nunquam ſeneſcit.

Modò ſingulares ipſius imaginis partes examino, ac ab indumentis initium ſumo. Togatus igitur vir apparet, qui ſuper togam tenet Pallium; è ſiniſtro latere lata faſcia procedit, ſub dextro ſe inſinuans brachio. Crura ſandaliis veſtita habet. Perpendo itaque primo loco togam, quæ uſque ad genua ſe extendit, latas habens manicas; quare Dalmaticam chyrodatam, ideſt manicatam appellandam eſſe puto, quæque à Collobio differt, cùm iſtud abſque manicis ſit. Hujus indumenti genus, narrat Salmaſius in ſuis notis ad Tertulliani librum de Pallio, apud antiquos molles, & delicatos fuiſſe in uſu, quod, temporis progreſſu, tam Epiſcopis, quàm Diaconis, Subdiaconis, & Presbyteris Romani Pontifices conceſſerunt, & ideo ſibi proprium fecêre, ut eruditiſſimus Du Cange in ſuo magno Gloſſario abunde demonſtrat.

In utroque humero duo ſigna, veluti duæ parvæ faſciæ, ſive zonæ viſuntur, quas nil aliud denotare autumo, niſi illa ſuperhumeralia ligamenta, quæ hodie in Diaconorum, & Subdiaconorum Dalmaticis, ex humeris pendere conſpiciuntur.

Fascia verò, quæ è sinistro descendit latere, proculdubio Laticlavium denotat, quod Senatoriæ, sicut & Angusticlavium Equestris dignitatis signum erat. In Laticlavii locum Archiepiscopale Pallium, in Angusticlavii Orarium apud Christianos Sacerdotes successisse judico.

Supra Dalmaticam quoddam indumentum, seu tegumentum cernitur, quod Pallium, Italicè *Mantello* denominatur, ac in duas dividitur formas, nempe in Pallium Philosophicum, ac vulgare. Hoc quadratum, illud verò, altero oblongius erat, ac in circumferentiam, ad nostri Pallii similitudinem, desinebat, cùm illud supra humeros deiicere, & complicare, sive illo totum tegere corpus facillimè possimus. In hujus locum, pro Sacerdotum indumento, Pluviale successisse arbitror. Quare præsenti in figura expressum, Philosophicum Pallium, judicio meo, repræsentat.

Pedes sandaliis, seu caligis, sive calceis teguntur. Horum indumentorū genus apud antiquos Romanos parum discrepans fuit; nam quoad formam ferme idem erat, differebat verò in ligulis, materiâ, colore, & fibulis, aliisque signis, ad nobilitatem ostendendam adinuentis. Unde Rubenius De calceo Senatorio c. 4. inter Patritios, & Senatorios calceos, solùm in ligularum inflexione aliquam fuisse differentiā putat. Alios verò inferioris conditionis homines, simplices habuisse ligulas ostendit Julius Nigronus in suo tractatu De caliga. Judico igitur iconem hanc Senatorias caligas, sive calceos repræsentare, cùm diversæ in eisdem cernantur ligulæ. Hujusmodi autem calceorum genus sub Imperatoribus immutatum fuit, remanseruntque sandalia, quæ tam Imperatoribus ipsis, quàm summis Sacerdotibus communia fuêre, ut ostendit præcitatus Rubenius cap. 5.

His igitur demonstratis, nempe omnia laudatæ ima-

ginis indumenta virum nobilem denotare, quæque etiam, temporis progreſſu, in Sacerdotum uſum conversa fuêre, propterea que jconem hanc; eccleſiaſticum virum innuere facilè argui poſſe exiſtimo; nec officere argumentum, quod in contrarium ab aliquo adduci valeret, eccleſiaſtica indumenta, quæ ad præſens cernuntur valde ab antiquis differre; quoniam perpetuo temporis lapſu omnia immutari, & alterari certiſſimum eſt. Attamen ſi eędem res, antiquam non habeant faciem, illi ſaltem ſimilem retinent, ut in Caſula obſeruari poteſt, quæ antiquitus longior, amplior, & ab utroque latere clauſa erat; modò verò brevior, ſtrictior, & ab utroque latere aperta eſt. Veritatem hanc ex antiquis picturis, marmoreiſque monimentis deducere valemus; ac ipſe obſervavi in meo itinere recreationis causâ menſe Maii peracto in oppido Sancti Eliæ Nepeſinæ Diœceſis, ubi ſacra veſtimenta, à ſexcentis, ni fallor, & ultra annis adhuc aſſeruantur, quæque delineari curavi, ac quantocyus illorum exemplaria in lucem emittam. Itidem ex manipulo argui etiam poteſt, qui antiquitus nil aliud erat, niſi manutergium, ſive mappula, aut ſudarium, quod Sacerdotes præ manibus tenebant, ut videre eſt in jcone, relata à Cl.V.Baluzio in Capitularibus Caroli Magni, Tom.2.pag.1276. & à bon. mem. Eminentiſs. Card.Bona lib.1.cap24.n.19. rerum Liturgicarum.

Hæc de indumentis: nunc ad librum, quem in ſiniſtra tenet manu, non caſu, ſed ad Myſterium aliquod oſtendendum delineatum, nam priſci Fideles, in exponendis animi ſui ſenſibus, myſticis Apocalypſis figuris uti conſueverunt, ut in cap. 24. mei operis Veterum Monimentorum narravi. Quare librum hunc apertum, illum denotare puto, qui cap. 12. & 20. Apocalypſis dicitur: *Et alius liber apertus, qui eſt vitæ*; ſcilicet, in quo Sanctorum nomina ſcripta ſunt;

ut

ut interpretatus eſt Andreas Archiepiſcopus Cæſareæ Cappadociæ in ſuo Comment. in D. Ioan. Apocalypſin cap. 63. 22.

Neque ſilentio prætereunda ſunt quædam etiam de Stellis, ad iconis latera expreſſis, quæ ex ejuſdem Apocalypſis cap. 16. & 22. deſumo, nempe: *Ego ſum radix, & genus David ſtella ſplendida, & matutina*. Quid iſta ſignificet ſtella Ambroſius Ansberti in Apocalypſim lib. 2. verſ. *Et dabo illi ſtellam matutinam*; ſic declarat, *In Scriptura ſacra cum ſingulari numero ſtella matutina ponitur, per hanc ipſe mediator Dei, & hominũ, homo Chriſtus Jeſus figuratur. Cùm verò plurali aſtra matutina interſeruntur, Angelicam creaturam deſignant. Sed & cum ſimpliciter, ac ſine additamento ſtellæ ponũtur, Doctores Eccleſiæ nonnunquam exprimunt. Stella matutina mediatorem Dei, & hominum, hominem Chriſtum Jeſum deſignat; ſicut in hac Apocalypſi ipſa magna, & fulgida ſtella apertiſſimè determinat, dicens. Ego ſum genus, & radix David, ſtella ſplendida, & matutina. Quia enim diſcuſſis tranſactæ noctis tenebris, diem mox affuturum ſtella matutina denuntiat, rectè per eam ſive Nativitas Redemptoris Noſtri in carne, ſeu Reſurrectio ejuſdem poſt mortem figuratur*. Licèt autem hujuſmodi expoſitiones ambabus ſtellis applicari poſſint, nihilominus, ut proximiùs earumdem explanationem feriam, ejuſdem Patris poſtremam amplector ſententiam; nempe per unam ſtellam antiquos Fideles, Chriſti naſcentis fulgore, mundum in tenebris jacentem illuminatum; per alteram verò ſtellam, ejuſdem Redemptoris Reſurrectionem, & ad Cœlos Aſcenſionem, ideoque æternam beatitudinem, perpetuo lumine coruſcantem, exprimere voluiſſe.

At nunc ad Epigraphem, circa imaginem expreſſam, gradum faciamus; quæ ita ſe habet. A SECVLARE BENEDICTE PIEZ; quamque ſic explico: ANNO

SECV-

SECVLARE BENEDICTE PIE ZESES. Hujuſmodi inſcriptio, ſicut & alia imaginis indumenta à priſcis Chriſtifidelibus hoc in orbiculo enigmaticè expreſſa fuêre, ad Religionis myſterium, ſeu arcanum gentibus occultandum, ſive, ut inter ipſos pro quadam mutua teſſera inſeruiret, ut ex ipſius inſcriptionis declaratione oſtendam.

Primos igitur Seculares Ludos, exactis Regibus, poſt conditam Vrbem annis 245. à Valerio Publicola inſtitutos fuiſſe, ſcribit Cenſorinus de Die Natali cap. 8. illos autem, qui ante reparatam humani generis ſalutẽ, celebrati fuêre, brevitatis gratiâ omitto, ſed eos tantummodo pro meæ intentionis fundamine enarrandos duco, qui poſt Chriſtum natum fuerunt habiti.

Prima igitur Ludorum ſecularium ſolemnitas (quæ ſexta ab eorum inſtitutione fuit) anno à Chriſti ortu 47. Tiberio Claudio Cæſare IV. & Vitellio III. Coſſ. celebrata eſt. Meam hìc mentem eſſe declaro; hac in annorum ſupputatione Pagi ſequi in ſua Critica Baroniana, de quo infra.

Secunda anno 88. Domitiano Auguſto, & Publio Cornelio Coſs. licèt nondum centum effluxiſſent anni.

Tertia anno 204. ſub Septimio Severo, & M. Antonino.

Quarta anno 247. cum Imperatores, Conſuleſque ambo eſſent Philippi: de quibus celebris eſt, ut optimè noſcis, inter Eruditos quæſtio: An iſti Principes ambo Chriſtiani fuerint necne, & ſi tales, Vtrum Chriſtianam Religionem ante, vel poſt Ludorum Secularium celebrationem amplexi fuerint. Quæſtionem hanc, à nonnullis jam agitatam, fas mihi ſit juxta Scriptorum ſeriem hîc referre, ac quæ ipſe de ea ſentiam exponere.

Primo loco ſeſe offerunt Vita, & Paſſio S. Pontij Martyris, Auctore Valerio ejus conturbenali, quæ caſtigatio-

tiores ab eruditissimo Baluzio in suo lib. 2. Miscellaneorum editæ sunt. In hujus Martyris Passione, quæ accidit anno Christi 257. sub num. 10. hæc leguntur: *Nunc autem qualiter primus omnium Imperatores Christianos fecerit, aut quomodo cũ Diabolo certaverit, victor existens, vel palmam Martyrii sumpserit non tacebo. Temporibus Philippi Imperatoris, qui cum filio Philippo Romanum regebat Imperium, fuit his Philippis amicus B. Pontius Christianissimus, & omnium divinarum literarum doctissimus. Cùmque gratia individua in eis esset, tertio Imperii eorum anno, expleto millesimo anno à conditione Romæ, cum Diis suis sacrificandum pergere vellent dicunt B. Pontio: Eamus, & repropitiemus nobis Deos magnos, qui nos in istius millesimi anni circulum natalis Romæ perduxerunt. Quos B. Pontius diversis excusationibus declinare nitebatur. Imperatores verò velut amicum ad sacrificandum cogebant. B. autem Pontius cognoscens à Domino datam sibi occasionem, ajebat: O piissimi Imperatores, cùm sitis à Deo Principes ordinati hominum, cur non ei, qui vobis hunc honorem præstitit cervices flectitis, & ipsi soli sacrificium laudis offertis?* Et num. 12. *Cùmque his & aliis multis, pro salute eorum, disputaret verbis, Dei voluntate Imperatores crediderunt, & eum deprecabantur, ut Mysterium hujus salutis,* SVPERVENIENTE DIE *eis pleniùs aperiret, & qualiter ignem perpetuum evadere, & immortalitate cum Sanctis sine fine perfrui possent. Et quidem* EX ILLA DIE, *& deinceps, sacrificia Idolorum declinantes, spectacula tantùm, pro conclusione millesimi anni, quo Natalem Urbis celebrabant, fieri imperaverunt.* Et num. 13. *Tunc Beatissimus Pontius ad Episcopum Urbis Romæ, nomine Fabianum, qui Ecclesiæ Dei præerat convolavit, & omnia ei ex ordine pandit. Tunc Sanctus Papa Fabianus, cadens cum eo in orationem, dixit. Domine Jesu Christe, gratias ago nomini tuo, qui per famulum tuum Pontium Imperatores*

tores Populi Romani ad tuam notitiam perducere dignatus es. ALIA VERO DIE *cùm simul ad Principes venissent, & Sacramenta eis divina demonstrassent, baptismi gratiam consecuti sunt.*

Quòd ambo isti Imperatores Christiani fuerint, itidem habetur in Passione Sancti Domnini Martyris, relatâ à Bonino Mombritio tom. 1. ubi legitur, quòd *reformatâ pace S. Ecclesiæ per gloriosissimum Principem Constantinum, qui inter Augustos primus, post Philippum, Christianus effectus est.*

Harum post passionum Scriptores supervènit Eusebius Cęsareæ Episcopus vulgò *Pamphili*, qui floruit principio quarti seculi; ac inter alias, quas sui temporis exaravit historias, hanc istorum Imperatorum scripsit. Hi 70. circiter annis Eusebium præcessêre, sicque tempore, quo Eusebius scribebat, multi probabiliter aderant testes, adhuc viventes, qui de eorumdem Imperatorum gestis, de visu, & de auditu deponere poterant; atque ideo Eusebium veritatem scripsisse, absque ullo dubio, autumandum est. Ipse enim lib. 6. cap. 34. historiæ meminit; *Philippum unà cum filio uti Christianum famam fuisse in postrema Paschæ Vigilia precationum in Ecclesia participem simul cum reliquo populo fieri voluisse.* Ac in Chronico ad annum Domini 246. scribit: *Philippus, Philippum filium suum consortem Regni fecit: primusque omnium ex Romanis Imperatoribus Christianus fuit.* Et ad annum 252. addit. *Decius cum Philippum Patrem, & filium interfecisset, ob odium eorum, in Christianos persecutionem movet, quâ Laurentius Diaconus Romæ Martyrium dixit.*

Ex hac Eusebiana assertione, credibile est, multos, post Philippi unà cum filio conversionem, Christianæ religioni nomen dedisse, atque indè exortam Decii persecutionem, ut infra patebit.

Post Eusebium S. Hieronymus in Catalogo Scripto-

rum

rum Ecclesiasticorum in Origene, Orosius lib. 7. hist. cap. 20. Vincentius Lirinensis adversùs hæreses cap. 23. Cassiodorus in Chronico, qui in fine quarti, & in principio quinti seculi floruêre idem testantur.

In fine sexti, seu principio septimi vixit auctor Chronici Alexandrini, qui eadem affirmat.

In septimo verò seculo sua exaravit Chronica B. Isidorus Archiepiscopus Hispalensis, qui sic fatur: *Philippus regnat annis septem. Iste primus inter Imperatores credit Christo. Hujus etiam primo anno millesimus annus Romanæ Urbis docetur expletus.*

Octavo autem seculo eadem scripsit Paulus Warnefridus Diaconus Aquilejensis.

Seculo nono floruerunt Freculphus Episcopus Lexoviensis, qui in Chronicis tom. 2. lib. 3. cap. 5. & Haymon Episcopus Halberstadensis hist. lib. 6. cap. 11. necnon Ado Archiepiscopus Viennensis in 6. ætate eadem affirmant.

Sequentis decimi seculi in principio, etiam floruit Regino, qui itidem in suis Chronicis eadem scripsit.

In undecimo seculo habemus Chronica Hermanni Contracti, ubi ad annum 247. legitur: *Millesimus annus à Christiano Imperatore* (scilicet Philippo) *variis ludis celebratus est.* Idē colligitur ex Metello Tegerseensi.

Duodecimo seculo floruit Otto Frisingensis, ac Joannes Zonaras, qui cum antecedentibus Auctoribus concordes sunt, utpote etiam Chronicon Alterfense, sive Heingartense apud Henricum Canisium in suis Antiquis Lectionibus.

Seculo verò decimotertio est Conradus Uspergensis, ac præter istum, aliud insigne est testimonium non Latini, sed Arabi Scriptoris latinitate donati ab Eduardo Pocockio. Arabs iste Auctor nomine Gregorius Abul-Pharagi scripsit historiam Orientalem à Mundi exordio usque ad sua tempora, nempe ad an-

num 1284; ut elicitur ex præfatione Pocockii, ac pag. 367. necnon ex Indice annorum Heiræ in fine operis. Gregorius igitur pag. 80. Latinè redditus sic loquitur: *Philippus Cæsar annos septem imperavit. Bene Christianis fecit, & ad credentium consortium admitti desideravit: dixit autem ipsi Episcopus, non licet tibi Ecclesiam ingredi, donec à vetitis abstinueris, & unâ uxore ex iis, quæ tibi propinquitate conjunctæ non sunt, contentus fueris. Solebat autem tempore precum accedens extra Ecclesiam stare cum illis, qui Religioni initiabantur, nec adhuc de ea loquerentur.* At paulò inferiùs. *Decius Cæsar annum unum imperavit, & præ odio suo in Philippum, qui Christianis benefecerat, illis inimicus extitit, graviterque ipsos afflixit, adeò ut fidem abnegarent ex credentibus multi, donec ipso interfecto, pœnitentiam agerent.*

Quisnam fuerit Gregorius iste, ab ipso Pocockio in eadem præfatione demonstratur, nempe: patriâ Malatiensis, Religione Christianus, professione Medicus, à suis, Rex Doctorum, Corona excellentium, dubiorum in Theologiâ occultorum ἐπιλύτης, idest interpres, unicum ævi decus, & seculi Phœnix, Doctorque Orientis appellatus.

Sequenti seculo scripsit Nicephorus Callistus, qui lib. 5. cap. 25. suæ historiæ idem affirmavit. Ibidem eadem scripsit Gobellinus Persona in Cosmodromio ætate sextâ capite undecimo apud Meibomium.

Decimo sexto seculo M. Antonius Sabellius in Æneide 7. lib. 7. idem retulit. Ac in ejusdem seculi fine ecclesiasticæ historiæ parens Baronius, ad annum 246. & & 249. in præcitatorum Scriptorum sententiam ivit.

Currenti autem seculo Eruditorum feraci; Severinus Binius in notis ad Fabiani vitam, idem testatur. Nostrisque temporibus eruditissimus Petrus Daniel Huetius quæstionem hanc, copioso calamo perpendit

dit, in suis Origenianis lib. 1. cap. 3. num. 12. quem audire loquentem, Amice, ne graveris rogo. Sic igitur Huetius fatur. *Atque utinam vel duæ illæ superessent epistolæ, quas ad Philippum Imperatorem, ejusque uxorem Severam Augustam scripsit. Hinc certò coniici posset, verène Christo adhæserint, quemadmodum ab Auctoribus Christianis proditum est: an à Christianis partibus fuerint alieni, quod persuadet Ethnicorum Auctorum de nova, ab iis susceptâ, Religione silentium, & multorum præterea tum Christianorum, tum Ethnicorum consensus, à quibus primus inter Imperatores Christum professos Constantinus celebratur. Ego quidem magnorum virorum sententiis, meum quoque judicium, quando me res id admonet interponam. Si publicè Christianorum fidem professus fuisset Philippus, verisimile utiq; non est, tacituros id fuisse Ethnicos Scriptores, futuramq; rei hujus, sicut fuit, obscuram famam, & incertam. Nec multò verisimilius est, si Christianus non fuisset, id proditurum Eusebium, temporibus illis proximum, cùm utramque eum ad Philippum, & Severam ab Origene scriptam epistolam vidisse constet, quam non paucis post Eusebium annis vidisse quoque Vincentium Lirinensem solerter deprehendit Baronius. Sic igitur sentio Christi sacris à Fabiano Papa initiatum fuisse Philippum, sed occultè, idque clam Ethnicos habuisse, ne quid indè res suæ detrimenti caperent, quas pristinæ Religionis ejuratæ fama forsitan conturbasset. Hinc ab Ethnicis Scriptoribus tacitum illud est, à Christianis celebratum. Quòd autem ex Eusebio obiici potest, publicè eum in Ecclesiam ab Episcopo (is fuit Babylas) admissum, precationum participem fuisse factum, postque crimina confessus in pœnitentium ordinem redactus est; id sanè animadvertendum est ex incerta auditione Eusebium retulisse. Antiochiæ præterea contigisse fertur illud, ubi florebant res Christianorum, quibus tum præerat Episcopus Babylas; in extremis videlicet Romanæ*

 ditio-

ditionis oris, procul à Romanorum conspectu, quos præ cæteris ejusmodi facinus poterat commouere. Huc accedit in medio Christianorum cœtu, conscio cum paucis Episcopo, Imperatorem facilè delitescere potuisse, mutatâ veste, & Imperatoriis insignibus detractis. Sub ipsa porro Imperii sui initia Christi doctrinam amplexum fuisse Philippum, ex eo liquet, quòd in cœtum Christianorum, jam creatus Imperator, recipi postulauerit, Antiochiæ, quò, non nisi post arreptum recens imperium, sese usquam contulit. Quæcumque autem adversùs hanc sententiam argumenta profert Baronius, ut postremis imperii annis Christo nomen Philippum dedisse probet, ex iis quæ diximus facilè refelluntur. Cadunt itidem pronuntiatæ in eam rem à Scaligero κύριαι δόξαι sic enim effata ejus appello, quibus Philippum ab Ecclesia segregat, veterumque Christianorum auctoritatem proculcat, uno hoc nixus argumento, quòd iniuriam Christo faciunt, qui hominem nequam, & Domini sui interfectorem Christianum ausi sint dicere. Ac si nulli inter Christianos scelesti reperiantur; ac si nequissimi non fuerint Imperatores quidam Christiani. Præterea nondum Christianum fuisse Philippum docuimus, cùm flagitia hæc admisit. Nec mihi magis Petri Halloxii probatur conjectura; cùm Origenem ex eo jam tempore, quo Arabiam petiverat, Philippo Imperatori, utpote Arabi, & Bostris nato, fuisse cognitum suspicatur. A puero siquidem, relicto patrio solo, in militiam profectus creditur Philippus. Et ut nondum patriâ excessisset, quonam argumento probari potest hominem, obscuro loco natum, & fortunæ tenuis in notitiam Origenis venisse, viri magnis de rebus ad hæc loca missi, & gravissimis negotiis districti? Quid est hariolari, si hoc non est? Minimè autem omnium audiendus vir eruditus, qui in annotationibus ad Nicephorum Fabiano Papæ tribuit, quod uno consensu Leontius Antiochenus, Chrysostomus, & ex Leontio Chronici Alexandrini

drini

drini auctor Babylæ tribuerunt. Non jam disputo verum ne sit, quod conjectat Baronius, Philippum Augustum cum Philippo Augustali Ægypti Præfecto confundi: hic certè locum, uti fatetur ipse, habere id neutiquam potest; non idcircò tantùm, quòd duas illas Origenis epistolas viderat Eusebius, sed multò magis, quòd, imperante Severo, Martyrio consumptus sit Philippus ille Augustalis Præfectus: ab Eusebio autem memoratum Philippi Augusti facinus, ipso jam imperium adepto, editum sit. Extat hinc etiam meritò ne scripserit Pomponius Lætus, Philippum, ut scelera tegeret, cultum Christiani nominis simulasse.

Hactenus Scriptores omnes de ambobus Philippis Christianis tractantes, quos reperi, tuis sub oculis posui. Supereſt modò illos etiam, qui in contrariam iverunt sententiam exponere, ut auditis altercantibus partibus, certius, firmiusque proferatur judicium.

Primâ igitur fronte, seu primus Antagonista se offert Pomponius Lætus, qui sub Pio II. floruit, ac Platynæ synchronus, & in conjuratione contra Paulum II. socius cõnumeratus, paganę religionis admirator, & Christianæ contemptor fuit, ut asserit Martinus Hankius de Romanarum rerum Scriptoribus. Edidit Lætus Epitomen vitæ Cęsarum, ac de Philippo scripsit, quòd esset PUNICA FRAVDE DETERIOR, *qui ut scelera tegeret cultũ Christiani nominis simulabat*. De hoc Læto scribit etiam Volaterranus, *quòd domunculam in Quirinali sibi paraverat, ibique natalem Urbis, ac Romulum colebat, quod erat initium abolendæ Fidei*. De hoc eodem plura apud Vossium de Historicis Latinis. Hæc enarrare duxi, ut patens sit, quisnam fuerit Antesignanus iste. Nam ab impuro hoc fonte, sequentes Scriptores impuram hausisse aquam, minimè ambigendum est; quoniam Joannes Baptista Egnatius Venetus, qui in principio præteriti seculi vixit, de eodem Imperatore

sic

ſic ait. *Sunt, qui à Chriſtiana pietate non abhorruiſſe Philippum tradant, quorum teſtimonio hominis perfidia fidem abroget.* Hos ſequutus eſt Ioſeph Scaliger, qui in animadverſionibus ad laudati Euſebii Chronologiam, & annum Mundi 2260. ita ſcribit: (*Primuſque omnium ex Romanis Imperatoribus Chriſtianus fuit*) *Næ illi magnam injuriam Sacroſancto Chriſti cultui faciunt, qui primi hunc latronem Araba Domini ſui Imperatoris innocētiſſimi, & Reipublicæ maximè neceſſarii interfectorem, idolorum cultorem, & ex cujus vita nihil tale colligi poteſt, Chriſtianum auſi ſunt dicere, & epiſtolas Origenis ad eum, & Severam ejus uxorem commenti ſunt, ut mimo fides haberetur. Euſebius auctores habuit, quos ſequeretur lib. 6. cap. 36. Hiſtoria Eccleſiaſtica* φέρεται δὲ αὐτοῦ (Ὠριγένους) καὶ πρὸς αὐτὸν βασιλέα φίλιππον ἐπιστολὴ καὶ ἄλλη πρὸς τὴν τούτου γαμετὴν Σευήραν, *Scilicet; extat etiam ejus epiſtola ad Imperatorem ipſum, & altera ad conjugem illius Severam: Totidem verbis idem prodit Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum. Vide præterea alia à veteribus Chriſtianis conficta, de ſatisfactione, ab hoc Philippo in Eccleſia factâ, apud eumdem Euſebium. Ibid.* (*Chriſtianus fuit*) *Chriſtianum, cujus fraude paulò ante Gordianum occiſum ſcribebat? Quæ verba omiſit Oroſius; quum reliqua exſcriberet, quia non videretur ei convenire Chriſtiano eſſe, cujus fraude Dominus interfectus eſſet.*

Scaligerum imitatus eſt Sethus Calviſius in Chronicis ad annum Chriſti 246. ubi ſic: *Refertur ab Euſebio, Caſſiodoro, & aliis, qui tamen hoc ex Euſebio deſcripſerunt, Philippum operam dediſſe Chriſtianæ Religioni, & baptizatum eſſe. Sed Euſebius hæc hauſit, ut ipſe dicit, ex epiſtolis Origenis ad Philippum, & ejus coniugem Severam, quæ epiſtolæ tamen fictæ ſunt. Ideò de Religione Philippi nihil certi pronunciari poteſt. Res geſtæ etiam Philippi non reſpondent, nec aliquid contulit Eccleſiæ, nec habuit*

Reli-

Religionis successorem, ut Constantinus.

Supra narratis Scriptoribus accedit eruditissimus Spanhemius qui in dissert. 9. De præstantia, & usu numismatum, sic fatur. *Ex superioribus autem Philippi nummis cum solennibus Gentiliũ sacris satis liquere videtur fabulis annumerandum, quod de hoc Imperatore, ut Christiano Eusebius, aliiq; dein tradidêre, inter quos etiã Abul-Pharagius. Quamquam videam virum rarà eruditione, ac inter præcipua hodie literatę Gallię ornamenta Danielem Huetium, eamdem de Philippo Christiano sententiam in Origenianis tueri; eum nempe circa ipsa imperii initia, Christi doctrinam, sub Papa Fabiano amplexũ, idque occultè, & clam Ethnicos, & quã de re consulere poterit eum Lector, ante quã huic, vel alteri sententiæ accedat.*

Tandem post tot Scriptorum, inter se variantiũ, sententias supervênit eruditissimus Pagi, qui in sua Critica Historico-Chronologica ad annum Christi 247. fusiùs super hac quæstione disserit, & præcipuè: An sacrũ susceperint Baptismum ante, vel postquàm Ludi Seculares celebrati fuerint, ejus opinio est. M. Julio Philippo II. & M. Julio Philippo Cæsare Coss. eodẽ anno 247. Philippum seniorem filium suum, Philippum Augustum nuncupasse, qui decimum suæ ætatis annũ agebat cùm biennio post obierit ætatis annor. 12. Deinde ostẽdit, Zosimum à Baronio perperam fuisse reprehensum, quòd Ludorum secularium, ab utroque Philippo editorum, non meminerit; nam putat, Zosimum de Ludis secularibus, centenariis Vrbi respondentibus, hoc anno celebratis, non disservisse, sed de illis tantùm fuisse locutum, qui juxta Augusti ordinationem exhibiti fuêre, quibus Romani credebant Vrbem, juxta vetus oraculum, bellis, & morbis esse liberandam. Quare nõ mirum si de ludis Circensibus, hoc anno exhibitis, nullam Zosimus mentionem fecerit; cùm illos hanc vim non habere, illosue irregulares esse crediderit.

Scri-

Scribit ulteriùs Pagi, se in Prolegomenis ad dissertat. Hypaticam id demonstrare, nempe Philippum nondum fuisse Christianum, quando millesimum Vrbis annum celebravit, ludosque ab eo editos, alterius classis, sive ordinis fuisse, quàm illos, de quibus locutus est Zosimus, quosque Honorius celebravit. Zosimum in ea fuisse opinione, ut existimârit Rempublicam Romanam nullũ detrimentum passam fuisse, quamdiu Ludi seculares, secundùm traditum à Numine ritum, idest post 110. annos ederentur: quamobrem ipsum Sibyllæ oraculum integrum recitat, cujus hoc initium.

Ast ubi mortalis longissima venerit ætas,
Vitæ centenis denis redeuntibus annis;
Sis Romane memor, nec te ulla oblivia fallant:
Sis memor, ut facias Diis immortalibus illo
Rem sacram in campo &c.

Finis verò,

Itala sic tellus omnis, tellusque Latina
Æternùm tua sceptra colet, tua jussa capesset.

Quare cum Ludi à Philippo exhibiti Vrbis centenariis responderint, seu iis, quos Claudius Imperator octingentesimo Vrbis anno ediderat, non verò antiquæ institutionis ab Augusto, Domitiano, & Severo obseruatæ: de illis nullam mentionem fecit Zosimus: sive quòd hanc vim eos non habere putaret: sive quia præter morem factos, ac irregulares crederet.

Addit idem Pagi in eadem Critica num. 4. in opinionis suæ confirmationem, argumentum, desumptum ex verbis Eusebii in Chronico vbi: *Ob quam solennitatem innumerabiles bestiæ, in Circo magno interfectæ, ludique in Campo Martio Theatrales tribus diebus, ac noctibus, populo peruigilante, celebrati.* Ex quibus verbis deducit bestias immolatas, ludosque Tarentinos, Dijs consecratos, fuisse editos. Exinde concludit, Philip-

porum

porum conversionem sæculares ludos fuisse subsecutam, minimè verò præcessisse; Baroniumque ab Orosio deceptum fuisse, scribente: *Ludis magnificis augustissimus omnium præteritorum hic natalis annus à Christiano Imperatore celebratus est*. *Nec dubium est, quin Philippus hujus tantæ devotionis gratiam, & honorem, ad Christum, & ad Ecclesiam reportarit, quando vel ascensum fuisse ab eo Capitolium, immolatasque ex more hostias nullus auctor ostendit*.

Audisti, Amice, horum inter se variantium Scriptorum opiniones, quibus coniunctim, & separatim respondere conabor.

Primum igitur argumentum pro narratorum veritate, quòd ambo Philippi Christiani fuerint ex supra narratis Martyrum actis desumimus, scilicet Sanctorū Pontij, & Domnini, quæ Eusebium præcessêre, ac idem testantur. Quare dicendum est, aut acta ipsa esse falsa, aut esse approbata, si falsa sunt, illorum corruit historia, sed ista acta pro genuinis ab Eruditis habentur, ergo de falsitate minimè argui possunt. Si autem uti vera approbata sunt, firma remanet narratio, nempe istos Imperatores fuisse Christianos.

Secundum argumentum ipse est Eusebius, qui hanc narrat historiam, cujus auctoritatem in contrarium scribentes evertere nituntur, ego autem pro viribus sustinere tentabo. Dico igitur Eusebium scripsisse ex fama publica, ut ipsemet testatur in præcitato cap. 34. lib. 6. ibi: *Fama est*. Tempore ergo Eusebij, qui hæc scripsit; septuaginta circiter ab istorum Principum cōversione erant elapsi anni, quare multi testes probabiliter adhuc superstites erant, qui de veritate deponere poterant. Insuper famam publicam ad credendum justam esse causam Iurisprudentes asserunt. Quare autumo Eusebium minimè allucinatum fuisse si hæc scripserit, utpote etiam Hieronymum, Orosium, Lirinensem,

nensem, & Cassiodorum, qui proximiores Eusebio fuêre, quique non solùm, ex eodem desumpserunt Eusebio, verùm etiam ex ipsis Origenis Epistolis, quæ illorum ævo extabant, ut testatur D. Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis in Origene, sic scribens: *Quodque ad Philippum Imperatorem, qui primus de Regibus Romanis Christianus fuit, & ad matrem ejus literas fecit, quæ usque hodie extant.* Idemque etiam Vincentium Lirinensem affirmare, solerter deprehendit Baronius ad annum 246. num. 8. ut nuper diximus.

Tertium magni momenti argumentum est, omnium Scriptorum, ex omni ferè natione, concordia, qui in omni seculo idem testantur. At huic meæ assertioni statim obiici audio: Omnes quos citasti auctores ejusdem fontis, nempè Eusebii, bibêre aquam, cui responsioni subiungo. In præteritis seculis, illæ duæ Origenis extabant Epistolæ, ut superiùs enarravi, quasque undecimo etiam seculo extitisse colligo ex citato Metello in suis Quirinaliis ode 2. ubi Octaciliam Philippi Senioris uxorem meminit fuisse Christianam. Sicque Poeta cecinit.

Verticem Regina Deo superbum
Fronte maturâ reverenda flexit
Principis cedente domo Philippi
sub juga Christi.

Quare si asseruit Octaciliam fuisse Christianam id ex Origenis epistolis desumpsisse probabiliter credendum est; utpote etiam easdem Epistolas in aliqua adhuc delitescere Bibliotheca, vel scrinio, quæ fortasse aliquando in lucem emittentur. Qnomodo ergo tantis hisce viris, qui diversis in seculis in literis floruêre, fides abroganda, & recentioribus tribuenda est, qui per tot secula à Philippis distant, nullâque probabili ratione suffulti, nisi illâ propriæ, inanisque voluntatis, contrarium affirmant. Sed infra alia adducam.

Quar-

Quartum: admiſſo quòd Octacilia fuerit Chriſtiana, ut multi de numiſmatibus ſcribentes autumant, ſequentes Triſtanum, qui conjecturam ſuam in præmemorato Metello fundavit. Ex hoc ſequitur ambos Philippos fuiſſe Chriſtianos, nam crebris ſuaſionibus ad Fidem Chriſtianam amplectendam maritum potuit allicere, filiumque in eadem inſtruere. Quare facinus de perpetrata cæde Gordiani, converſionem Philippi præceſſiſſe dicendum eſt.

Quintum: in contrarium ſcribentes nullam allegant probabilem coniecturam, ut nuper dixi, ſed inanibus ſophiſmatibus innituntur, ut infra ad Scaligeri reſponſionem demonſtrabo.

Sextum: validum illud eſt argumentum à laudato Baronio ad annum 249. num. 3. & 4. allegatum: de legibus ab hoc Principe promulgatis, quæ Chriſtianam pietatem ſpirant. Nam Exoletos (turpiſſimorum, ac flagitioſorum hominum genus) ſuſtulit, Poetiſque Juvenum animas ſua arte corrumpentibus antiqua privilegia ademit.

Septimum: argumentum ex ipſiſmet, qui contrariam tuentur ſententiam deſumo, ſcilicet ambos Imperatores poſt eorum mortem inter Divos adſcriptos fuiſſe cui opinioni reſpondeo. Honorem hunc, ex Senatûs, Populique decreto, non autem de illorum mandato eiſdem fuiſſe ſancitum. Quare ex hoc actu deducitur ipſos tamquam bonos, pioſque Principes, ac de Republica optimè meritos tali ſe reddidiſſe dignos honore.

Octauum: pariter elicio argumentum ex objectione ab aliquibus factâ, de Ethnicorum Scriptorum in re tam patenti ſilentio, fortaſſe ductâ conjecturâ ex eo, quod ipſi præſumerent ambos hos Imperatores Deorum fuiſſe Cultores, quoniam Sacra, rituſque proprios permittebant. Ego autem ex hoc met ſilentio

depromo, eosdem Principes Christianam amplexatos fuisse Religionem. Eò quia nullus ex hisce Ethnicis Scriptoribus meminit, illos sacrificandi causam, occasione Anni millesimi iuxta veterum morem, Capitolium ascendisse, ut aduertit Orosius. Poterant enim occultè Christianam Religionem professi esse; nam rerum, & temporum conditio non sinebat, ut palam Religionem hanc demonstrarent, quia eorum imperium nondum satis firmum, Senatûsque, Populique Romani, atque exercitûs inconstantia, & læuitas in mutandis Principibus satis erat nota, quemadmodum ex præcedentibus Imperatorum cædibus se prodiderat: Christianam occultando Religionem, & propriæ vitæ, atque imperio consultum fuerat, sicque etiam Ecclesiæ rebus erat utilior.

Nonum desumo argumentum ex Decii, in Imperio successoris, motâ in Christianos persecutione, in eorundem Principum odium, quia Christianis faverant, ut pluribus demonstrat exemplis laudatus Baronius ad annum 253. Et præsertim elicitur ex Chronico Alexandrino, sive Paschali, nuper recusso à Du Cange ad annum Christi 253. & ex laudato Auctore arabo Abul-Pharagi.

Decimum denique pro meæ intentionis fundamine minimè spernendum, adduco argumentum, nummum videlicet ab Apamensibus Syriæ, cussum, quod refert eruditissimus vir Octavius Falconerius in sua Dissertatione de Nummo Apamensi Deucalionei Diluuii typum exhibente. Nummus iste in una facie Philippi Senioris caput laureâ coronâ redimitum, ostendit cum græca Epigraphe ΑΥΤ.Κ.ΙΟΥΛ ΦΙΛΙΠΠΟΣ ΑΥΓ *Imperator Cæs. Jul. Philippus Aug.* In altera opposita facie visitur quædam veluti quadrata arca, intra quam duæ sunt effigies pectore tenus, virilis una, altera muliebris: in

arcæ

arcæ ſummitate, ac angulo inſidet avis veluti Columba. In facie arcæ ſunt literæ ΝΩΕ, ſcilicet Noë. Subtus arcam apparent aquæ: extra arcam, eædem figuræ ſtantes, & ſuper caput Viri. Viſuntur Columba eſt, quæ pedibus Olivæ ramum ſtringit, ac volatu ad arcam tendit in gyrum ac ſubtus, hæc legitur græca inſcriptio ΙΜ.ΑΥΡ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ.Β.ΑΡΧΙ.ΑΠΑΜΕΝΟΝΕΠΙ Sub M.Aur.Alexandro iterũ Pontifex Apamenſiũ.Cenſeo propterea nummum hunc nõ in ſignum univerſalis, ſeu Deucalionei Diluuii; ut opinatus eſt.Falconerius,ſed à Chriſtianis in ſignũ lætitiæ:quod ipſe Philippus Chriſtianę Religioni addictus eſſet ſculptum fuiſſe, ut ex præcit.Auctoribus deduco. Arca enim Noë ſalutẽ ex Baptiſmatis aquâ denotat,ut in primo Emblem.n.3. D.Petri auctoritate, demonſtravi. Quòd Apamenſes Cives eo tempore Chriſtianam ſuſcepiſſent Religionem, facilè adducor ad credendum, propter vicinitatem Apamenſis Civitatis cum Antiochenâ. Et cum B.Petrus in hac divinum Evangelium per ſeptem annos ſeminaſſet, pro certo habendum eſt, etiam Verbum Dei in proximas promulgaſſe Vrbes.

Huc uſque coniunctim reſpondi, modò ſeparatim etiam reſpondendum eſt. Satis ergo puto ſi Scaligeri objecta tantùm diluam,cum ipſius,in contrariam tuentes ſententiam,prolixior,atque acrior cenſura ſit.Primo igitur loco præfatus Scaliger opinatur, illos Chriſtianum cultum magnâ afficere injuriâ,qui latronem Arabem, proprij Domini proditorem, ac interfectorem, idolorumque cultorem, Chriſtianum fuiſſe narrant. Huic objectioni facilè reſponderi poſſe exiſtimo, ex Gentium Doctore prolatis verbis; *Deum velle omnes homines ſaluos fieri, incomprehenſibiliaque eſſe judicia ejus*. Nos quidem ignoramus cur ipſe ſcrutator cordium Deus, Philippum talia facinora perpetrare permiſerit, ac cur poſtea illum ad pœnitentiam vocaverit,

Chri-

Chriſtianam in ejus cor inſtillando fidem. Plura poſſent adduci exempla, tam è veteri, quàm è nova lege; Principum etiam Fidelium, quos Dei benignitas ex peccato ad juſtitiam perduxit; at duo tantummodò in memoriam revoco. Primum eſt David, qui ut Bethſabee amplexibus frueretur, Vriam ejus virum necari juſſit. Secundum Theodoſius Imperator, qui ad ulciſcendam Theſſalonicæ Præfecti militum mortem, populum ejuſdem Civitatis, tam ſontes, quàm in ſontes, uſque ad ſeptem millia interfici mandavit. Nihilominus poſtea ambo iſti pœnitentiâ ducti, probi, ſanctique Principes, omnium conſenſu, fuêre. Mortales omnes proprię paſſiones, & affectus immoderati dominantur, qui ſi langueſcere, divinæ gratiæ ope incipiant, eâdem divinâ gratiâ operante ſubintrarat bonorum omnium auctor, & altrix.

Obiicit ſecundo loco præcitatus Scaliger duas Origenis Epiſtolas ad Philippum, & Severam ejus uxorem commentitias eſſe. Scaligerum igitur quæſo; undenam talem auctoritatem, ac certitudinem hauſerit, ut has epiſtolas poſſit commenti, ac falſitatis arguere, dum eas ſe vidiſſe teſtatur D. Hieronymus, & ex S. Vincentio Lirinenſi coniicimus, etiam ſuo ævo illas extitiſſe. Quomodo ergo ſunt commentitiæ? Item, quânam audaciâ, Scaliger tale profert judicium, ſi eas non legit, neque vidit? Vult enim in auditum, ac non viſum, ac prætenſum reum condemnare. Si hoc æquitati, & rationi conſonum ſit, æqui, probique viri dijudicent. Modò ad Pagi opinionem reſpondeo.

Philipporum converſionem Seculares Ludos ſubſecutam fuiſſe iudicat Pagi. At ego eo ipſo anno, quo Seculares Ludi celebrabantur accidiſſe affirmo; nam in ſupra narratis actibus S. Pontii legitur, Imperatores B. Pontium ad ſacrificandum idolis, occaſione anni milleſimi, inducere tentaſſe; ſed eiuſdē Pontii hor-

tatu

tatu ipsos in Christum credidisse, eumdemque B. Pontium precatos fuisse, ut salutis mysterium *superveniente die*, ipse eis aperiret. Post hæc in eisdem actis habetur, quòd *ex illo die, & deinceps* Idolorum sacrificia declinare cœperunt, ac spectacula tantùm iidem Imperatores pro conclusione millesimi celebrari mandarunt. Postea subjungitur. *Aliâ verò die Baptismi gratiam consecuti sunt*. Tria igitur tempora hìc noto. Primum congressus, sive primæ collocutionis Philipporum cùm Beato Pontio: secundum eorumdem secundæ collocutionis, quando eis mysteria Fidei à Pontio aperta fuêre, ut deduco ex verbis, *superveniente die*: Tertium verò tempus est, quando iidem sacrâ Baptismatis undâ fuerunt abluti, id colligo ex verbis; *aliâ verò die*. Quæ postrema verba notanda sunt, cum tempus propinquum denotent, pauci enim dies post duo colloquia intercessêre, quibus elapsis, sacrum suscepêrunt Baptismum. Sicque eodem anno, quo Ludi celebrabantur, Christiani effecti sunt. Quærendum igitur hìc est: an solummodò spectacula, absque sacrificiis fieri consueverint: Quod spectacula unà cum sacrificiis celebrarentur clarè nobis demonstrat Tertullianus De spectaculis num. 7. *Sed Circensium*, ait, *paulò pompatior suggestus, quibus propriè hoc nomen pompa præcedens, quorum sit in semetipsa, probat de simulacrorum serie, de imaginum agmine de Curribus, de Thensis, de Armamaxis, de Sedibus, de Coronis, de Exuviis. Quanta præterea sacra, quanta sacrificia præcedant, intercedant, succedant, quot Collegia, quot Sacerdotia, quot officia moveantur, sciunt homines illius Vrbis, in qua Dæmoniorum conventus consedit*. Id etiam indicat S. Cyprianus, sive alius auctor in opera De spectaculis ubi. *Quod spectaculum sine Idolo? Quis Ludus sine sacrificio? quod certamen non consecratum mortuo?* Nihilominus cum ii Imperatores hujusmodi interdixerint sacrificia, & spe-

ctacula tantum celebrari mandaverint exinde contrarium ab illo Pagi deducitur argumentum, ex ipsiusmet Eusebii in Chronico desumptis verbis ab eodem Pagi relatis, scilicet; *Ob quam solennitatem innumerabiles Bestiæ in Circo magno interfectæ, ludique in Campo Martio Theatrales tribus diebus, ac noctibus populo pervigilante celebrati*. Concedo igitur innumerabiles interfectas fuisse bestias, nego tamen fuisse immolatas; nam bestias illas, quæ fuerunt occisæ, recenset Capitolinus in Gordiano cap. 33: *Fuerunt*, inquit, *sub Gordiano Romæ Elephanti 32. quorum ipse duodecim miserat; Alexander decem; Alces decem; Tigres decem, Leones mansueti sexaginta, Leopardi mansueti triginta, Belbi (idest Hyænæ) decem, Gladiatorum fiscalium paria mille: Hyppopotamus, & Rhinoceros unus, Archoleontes decem, Camelopardali decem, Onagri viginti, Equi feri quadraginta, & cætera hujusmodi animalia innumera, & diversa, quæ omnia Philippus Ludis secularibus vel dedit, vel occidit. Has autem omnes feras mansuetas, & præterea efferas parabat ad triumphum Persicum, sed votum publicum nihil valuit. Nam omnia hæc Philippus exhibuit secularibus Ludis, & Muneribus, atque Circensibus, quum millesimum ab Urbe condita annum in Consulatu suo, & filii sui celebravit*.

Supra enarratæ ergo bestiæ non quidem ex iis sunt, quas cæca Gentilitas immolare consueverat, quæ enim immolabantur: erant Oves, Sues, Capræ, Boves, Gallinæ, Anseres. Pauperes verò non habentes vivum animal quod immolarent, bovis simulacrum è farinà fingebant. In secularibus Ludis peculiaris victima erat Porca, ut ostendit Franciscus Angeloni in sua historia Augusta antiquis numismatibus illustrata, ac italico descripta idiomate, quam emendatiorem, ac auctam, denuò edidit nostri seculi, rerum antiquarum eruditissimus Joannes Petrus Bellori ad num. 14. numismatum

tum Septimij Severi, ubi visitur ejusdem Imperatoris numisma, cujus in medio stat ara pro sacrificio, ad cujus latus est Dea Tellus, in terra sedens; ex altero verò latere cernitur Victimarius, qui ad sacrificandum Porcam ducit, quoniam in secularibus Ludis Dii pro fertilitate, & abundantia deprecabantur. Circa aram Imperator velato capite, pateram manu tenens, in sacrificii actu stat; prope ipsum est Tibicina, ad cujus latus duæ aliæ visuntur figuræ quæ Bacchum, & Herculem repræsentant. In numismatis peripheria hæc leguntur: CONS. IV. LUD. SÆC. FEC. S. C. scilicet, Consulatus IV. Ludos seculares fecit, Senatus Consulto. Plura apud ipsum Angeloni de hoc numismate videri possunt. Aliud non absimile, & pulcherrimum, ac rarissimum numisma se vidisse in celebri Musæo bon. Mem. Cardinalis de Maximis, narravit mihi idem Bellorius, quod postea transivit in illud claræ memoriæ Reginæ Suetiæ: cujus exemplar ipse Bellorius, in majori, & quadrata forma delineatum apposuit, in secunda pagina fragmentorum veteris Romæ, ubi non in peripheria, sed in ipsa ara insculpta leguntur hæc verba: LUD. SAEC. FEC. scilicet Ludos Seculares fecit.

Similem item nummum refert eruditissimus Spanhemius in sua Dissertatione 9. qui non Porcam, sed Aprum esse censet. Insuper addo, quod hi Ludi poterant celebrari etiam absque sacrificiis, ut existimat idem Spanhemius loco citato, qui asserit ab Honorio eosdem Ludos celebratos fuisse, sed sacris secularibus omissis, solo Circensium, aut Theatralium Ludorum apparatu. Scio, laudatum Pagi in suis Prolegomenis in Dissertat. Hypatica num. 11. scribere, hosce Ludos ab eodem Honorio minimè fuisse celebratos, sed hæc quæstio ab historia dependet, quam aliis examinandam relinquo. Iidem etiam Ludi poterant, ut diximus, absque

ſacrificiis celebrari, eò magis, quò magis Imperatorum mandatum acceſſit, nam in præcitatis actis narratur, ut ſupra retulimus, quod *ex illa die*, quâ Imperatores Chriſtianorum ſacris acceſsêre, ſacrificia declinare cœperunt, & ſpectacula *tantùm* pro concluſione milleſimi anni celebrata fuêre: vox *tantùm* notanda eſt. Dato etiam, quòd ſacrificia fuerint celebrata, non per hoc evincitur, ipſos Imperatores ſaltem Chriſtianæ legis inſtructos haud fuiſſe. Similem ferme quæſtionem tractat Baronius ad annum Chriſti 352. num. 93. & ſeqq. & in Martyrologio ad diem 22. Auguſti litterâ B. ubi oſtendit, Conſtantinum, licèt Chriſtianis ſemper fauiſſet, tamen de conſulendis Haruſpicibus dediſſe reſcriptum, atque ſub eo à Gentilibus aliquando vexatos fuiſſe Chriſtianos, & ob eam cauſam plurima eidem Imperatori mala accidiſſe. Unico namque, eodemque tempore ſuam ubique Chriſtiana Religio puritatem conſecuta non fuit, ſed temporis progreſſu. Imperatores enim Chriſtiani ſenſim omnem Gentilitatem abolêrunt, ut clarè deducitur ex toto titulo de Paganis in Codice Theodoſiano. Unde mirum non eſt, ſi ambo Philippi, recenter in Chriſtiana fide inſtructi, quique eam nondum forſitan amplexi fuerant, ſeculares celebrari Ludos, atque etiam fortaſſis ſacrificia fieri, abſque eorum interventu, permiſerint.

Ex hactenus enarratis clarè probatum puto, ambos Imperatores, eodem anno, quo præfati Ludi celebrati fuerunt, Chriſtianæ militiæ nomen dediſſe, quod pro meæ opinionis baſi erat demonſtrandum.

Non obſtat, quod in Paſſione S. Pontij narretur: tertio imperii anno Philippum ad ſacrificandum pergere voluiſſe, quia reſpondeo. Id faciebat ob populi Romani metum, aliaſque rationes, quas ſupra num. 8. indicavi, ac de Conſtantino nuper dixi. Neque obſtat aliud ſimile argumentum, nempe; poſt nonnullas diſpu-

disputationes, Dei voluntate, Imperatores credidisse. Cui obiectioni etiam subjungo, Philippum, dum Antiochiæ, sive Apameæ mansit, sacris Christianæ Fidei Mysterijs instrui voluisse, sed eam minimè fuisse amplexum, ut deducitur ex supracitato auctore Arabo Abul-Pharagi, cùm verò Romam pervenisset, S. Pontii suasionibus sacrum suscepisse Baptisma. Nam eo tempore jam pravam introductam fuisse consuetudinem, existimo, quòd multi Fideles usque ad provectiorem ætatem sacrum suscipere Baptismum differebant; ut docet Baronius ad annum 377. num. 14. & Lorinus in Commentario Act. Apostolorum cap. 2. vers. 38. Idque comprobant variis antiquorum Patrum auctoritatibus. Non abs re ergo erit asserere, Philippum Imperatorem hanc pravam amplexatum fuisse consuetudinem, Baptismi susceptionem usque ad suum Romam adventum differendi. Si igitur hisce meis conjecturis locus est, ex eis etiam Scriptorum concordia resultat, nempe Philippo, dum Antiochiæ manebat, S. Babylam ejusdem Civitatis Episcopum, Ecclesiæ ingressum, ob detestandam Gordiani cædem, seu, ut narrat præcit. Abul-Pharagi, quod nolebat, abstinere à vetitis & unicâ uxore esse contentus, interdixisse. Romæ verò Philippo degenti, ac Baptismate nondum suscepto, nihilominus sacris Christianorum Mysteriis interesse desideranti, Ecclesiæ ingressus, ob easdem causas, à Fabiano Papa similiter interdictus fuit.

Hisce suppositis deduco, Fideles tunc Romæ viventes gnaros, quòd Imperatores jam secretò Christianam Religionem professi fuerant, ob maximam lætitiam, quam ex hujusmodi Imperatorum conversione accepêre, Redemptori Domino Nostro Jesu Christo, de singulari hoc beneficio debitas grates rependere voluisse, in cujus rei argumentum, ac tesseram, in orbiculo vitreo scripserunt A SECULARE BENEDI-

CTE PIEZ, videlicet: ANNO SECULARE BENEDICTE PIEZESES, ſcilicet IESUS dignatus es, naviculæ Eccleſiæ pacis portum demonſtrare, litera enim Z. initialis eſt nominis ZESES; ut ex tribus orbiculis vitreis, ab Arringho lib.4.cap.37.pag.265. allatis, colligo; in quorum uno legitur PIEZESES; in altero ZESES, cum tuis, in tertio Lucifer vivas cum tuis feliciter ZESES; in hoc enim orbiculo viſuntur vir ac mulier, inter quos ſtat Juvenis togatus, qui manibus coronam capitibus eorum imponit, & ſuper Juvenis caput legitur CHRISTUS. Et in eod. libro cap.47. pag.403. in alio orbiculo ſimiliter legitur PIEZESES.

Inſuper noto epitheton *Benedičte*, à priſcis Fidelibus uſurpari ſolitum, ut clarè oſtendit Holſtenius in notis ad paſſionem SS. Perpetuæ, & Felicitatis in pag.7.verſ.2. ubi obſervat vocem *Benedičti*, e græcâ voce εὐφημισμὸς quæ affectum, aut venerationem, erga perſonam cujus fit mentio denotat. *Notior* (ſubdit) *hodie linguæ Italicæ vulgari, quàm communi Latinæ derivatum in Africanam latinitatem fortè è Syriaco, aut Hebræo ſermone, quo priſci Tyrii, & Pœni Carthaginis Coloni, aut non multùm diverſo utebantur. Syrorum enim, ac Hebræorum eſt Benedičti adiunčtum ad Dei præſertim mentionem apponere, ut habes Marci 13. 61. & ſæpius in aliis ſcripturis: ſed & ad compellationem bonorum hominum Benedičti vos à Domino Pſal.123.15. & alibi non rarò. Tertullianus ipſo principio libri ad Martyres deſignatos: Benedičti Martyres. Mox: inprimis ergo Benedičti nolite contriſtare Spiritū Sančtū, & c.2. quo vos Benedičti de carcere in cuſtodiam, ſi fortè translatos exiſtimatis. Ibid. Sic nunc Benedičti, carcer etiam Chriſtianis moleſtus: Et mox cap.3. Et de cultu fœminarum lib.2. fœminas Chriſtianas Benedičtas appellat; Et lib. Præſcript. ſub Epiſcopatu Eleutherii Benedičti: & lib. de Exhort. Caſt. Benedičti Patriarchæ. Ita Lucianus Confeſſor apud Cyprianum*

Ep.22.

Ep.22. Cùm Benedictus Martyr Paulus adhuc in corpore esset. Et Clerus Romanus apud eumdem ep. 3. Didicimus Benedictum Papam Cyprianum secessisse. Idem observavit etiam Lupus In Tertulliano de Præscriptionib.cap. 30. pag. 483. in verbo apud Ecclesiam Romanensem; ubi probat, apud primitivos Christianos titulum Benedicti eminentem fuisse.

Hasce meas in præfatos orbiculos observationes, qualescumque sint, tibi admodum perspicacis judicii, & eruditionis subjicio. Ac te in mutuæ necessitudinis signum accipere, meque amare etiam, atque etiam rogo; ac semper benè valere Amice charissime opto.

F I N I S.

INDEX
COGNOMINUM, ET NOMINUM AUCTORUM,
In hoc opusculo citatorum.

Fal-

Sa-

INDEX
RERUM NOTABILIUM,

In hoc Opuſculo contentorum.

Dal-

F I N I S.